

QK 319

v. Schönberg

No.



VIRO  
IVVENI GENEROSISSIMO  
PRAENOBLISSIMO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMO  
**CVRTIO FRIDERICO**  
**A SCHOENBERG,**  
**MAGISTERII LIPSIENSIS HONORES**

GRATVLA TVR

FRIDERICVS GVILIELMVS A SCHVTZ

E Q V . M I S N .



---

LIPSIAE, EX OFFICINA LANGENHEMIANA

OPEN  
LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF  
EDINBURGH  
CIRCULATING LIBRARY  
CORPORATION OF EDINBURGH  
CIRCULATING LIBRARY  
EDINBURGH

---

**S**i quid est, quod doctis hominibus praecipue dignum, latissimeque patentis utilitatis esse videatur; illa sane est doctrina, quae de rebus mathematicis agit. Nemo non intelligit, quantam veteres Matheſeos scientiae, eique parti in primis, quae Geometria dicitur, viam tribuerint. Platonem, satis conſtat, ne admittere quidem ad disciplinam quamcunque voluisse, qui non Geometria percipienda subactum ingenium obtulissent.



Ad acuendum iuuenile ingenium Geometriam in primis  
aptam esse, omnibus eo libentius concedo, quo certius  
ex quotidiana experientia perspicere mihi licuit, quem  
fructum iuuentus ex istis libris percipere possit, in quibus  
Matheseos elementa traduntur. Sed quae studiis mathe-  
maticis animos iuueniles ad Philosophiae disciplinam  
praeparandi vis tribuitur, ea profecto non a quo quis satis  
magni solet aestimari. Plerique enim animum a sensibus  
auocare non possunt, idque est veritatis cognoscendae  
maximum impedimentum, vt vere Cicero ait, et huius  
vitii infantes, et qui sunt eorum similes, maxime acci-  
fandi sunt. Longe autem abest in Arithmeticae vel Geo-  
metriae studio, quo problemata tantum mente intelli-  
guntur. Adsunt figurae, quas tamen sensibus capere  
non possumus, vt multi afferunt, quibuscum errare nol-  
lem, sed magis cum Platone, qui in Matheseos com-

men-

mendatione primo Arithmeticam laudat, cum hac in  
scientia animus paullatim a rebus sensibiliibus ad res in-  
telligibiles auocetur: quo quidem velut adminiculo nixi  
pueriles animi ad grauiores disciplinas praeparantur.  
Qua de causa quotquot sapiunt, ii vero libros mathe-  
maticos, adhuc summa iniuria neglectos, iuuenibus dili-  
genter in manus tradi iisque commendari volunt. De  
Matheseos autem fructu in Philosophiae studio auderem  
scribere, nisi timerem, ne nimis tritas sententias hoc lo-  
co repetere viderer, de quarum valore multum dici a  
multis soleat. Sed hac in re non leuis error versatur eo-  
rum, qui nullum Mathesi locum in Iurisprudentia attri-  
buendum esse, putant. Dicunt enim, adeo non necessa-  
riam esse futuro Iureconsulto Matheoseos cognitionem,  
ut ipso usu experientiae pariter ac Doctorum exemplis  
contrarium manifeste doceatur. Sed an nonnullae mate-

\* 2

riae



riae in iurisprudentia, studii auxilio mathematici, me-  
 lius perspici possint, hoc est, de quo disputari solet.  
 Video, saepe esse multumque de scientiae pretio discepta-  
 tum, cum iam veteres vidissent fructus, quos capere  
 possent ex illo studio. *Boineburgius*, qui Puffendorfi sen-  
 tentiam exposuit, in epistola ad eum scripta, quae in  
 Groeningii Bibliotheca iuris gentium Europaea reperitur,  
 multa in fauorem Mathematicae scientiae attulit, dum  
 hanc scientiam ad Iurisprudentiae cognitionem aptam  
 esse, credit, et *ego*, inquit, *Mathematicos in iure potissi-*  
*mum sequendos censerem, scilicet ut immotum aliquod princi-*  
*pium et quod nemo sanus in dubium vocare ausit, constituatur,*  
*ex quo, quid perpetui et naturalis sit iuris, ducatur.* Et  
*alio loco Matheseos studium non iniucundum esse, dicit, sed*  
*singularem habere vim et perspicuitatem.* Eodem modo ait  
*Diderot: excellent et admirable Chapitre, digne d' être relevé*

*plusieurs*

*plusieurs fois* etc. Sed ii, quos habemus iratos, dicunt,  
 allegatas opiniones falsas esse, cum nihil tam absurdum  
 dici queat, quod non aliquando defenderit Philosophus.  
 Ad Quintilianum prouocari possit, qui in lib. X. cap. i.  
 etiam de magnis auctoribus excusandis differit: *neque id*  
*statim legenti persuasum sit*, inquit, *omnia, quae magni au-*  
*tores dixerint, utique esse perfecta.* *Nam et labuntur ali-*  
*quando et oneri cedunt et indulgent ingeniorum suorum volu-*  
*ptati nec semper intendunt animum et nonnunquam fatigantur.*  
 Ego quoque non multos auctores euoluam; vidi enim,  
 me dum euoluendo auctores expedire me voluerim, in  
 plures laqueos illapsum esse. Ceterum mihi satis per-  
 suasum habeo, me aduersarios illos tam argumentis mul-  
 tis quam exemplis refutare posse. Nam eam rationem  
 viamque tentandam esse in omnibus disciplinis censeo,  
 quae est breuissima, et in qua, si quid demonstrandum  
 est,



est, paucis nōs expedire possumus. Vnusquisque facile intelligit, Matheſeos cognitionem etiam in Iurisprudencia maximam vim habere. Et nuperrime *Gehlerus* in Diff. tam docte quam eleganter conscripta: *de Laſione emitoris ultra dimidium recte computanda*, vſum ſtudii mathematici in Iurisprudentiae disciplina vario modo et egregie oſtendit. Si quis autem hanc materiam pertrahere voluerit, eruditum illum et in hac Scientia verſatum eſſe oportere, vnuſquisque facile intelligit. Iam refutatis omnibus quae ab aduersatiis ſolent moneri, licet pauca quaedam de Diff. allegata, addere: *quantum faciat*, ait auctor noster, *inprimis ad iurisprudentiam illudrandam*, *de eo ſatis ſuperque conſtat inter omnes*, qui laudabili conſilio utrique doctrinae operam dederunt. Rechte id Gehlerus monuit, dum omnis aduersariorum error huic potiſſimum redit, vt *vtilitatem* alicuius Scientiae cum *neceſſitate*

*cessitate* fere omnes confundant. Tantum Mathesin *ad-miniculum* esse ad elegantioris iurisprudentiae cognitio-nem satis appetet. Et cum omnium iudicio hoc inpri-mis agendum sit, ut animi ad grauiores disciplinas pree-parentur, quae intelligentia magis quam sensibus arri-piuntur: longe sane feliciores progressus in iurium stu-dio facient ii, qui ingenium mathematicae disciplinae seueritate subactum ad hanc disciplinam attulerint. Mul-ti libros, qui studium mathematicum pertractant, nimis obscuros aut difficiles esse opinantur. Hanc vnam esse causam censeo, cur multi a cognitione Mathe-seos abhor-reant. Si considerare voluissent, iurium studiosos ple-rumque studia celebrare ea, quae ad ipsam quidem iuris cognitionem nullam aut exiguum saltem vim habent, ele-gantem tamen iurisperitum maxime ornant: ipsis sine du-bio intellegent, eos non rebus plane inutilibus cogno-

\*\*

scendis



scendis operam suam impendere, qui Matheſeos ſtudiis  
deleſtentur. Tanta igitur cōmoda quum Matheſeos  
cognitio omnibus literarum cultoribus afferat, eorum  
probo ſententiam, qui hoc ſtudium omnibus iis iuuēni-  
bus, qui in literis tractandis non tantum et vnicē ad pa-  
nem lucrandum ſpectant, diligenter commendare ſolent.  
Ego vero illum magni aeftimo, qui omnem diligentiam  
rerum Mathematicarum pertractioni adhibet, et tem-  
pus ſtudiis impendit, quorum cognitione ſibi quaſi adi-  
tuſ ad altiores disciplinarum theſauros aperiatur.

Iam, etiamſi nullam cauſam commemorare poſſem;  
cur **T E**, amice mihi venerande! in hac epiftola allocu-  
tus ſim, quam vt **T V A M** diligentiam illi disciplinae ad-  
hibitam, cuius in hoc libello mentionem feci, ſummis  
laudi-

laudibus efferrem; nemo tamen, opinor, facile reperi-  
 tur, qui consilium meum iniquo iudicio reprehendar.  
 A prima fere aetate studiis mathematibus sub talis *Viri*  
 auspiciis invigilasti, cuius doctrina et merita iam in cla-  
 rissima luce versantur, nam *Hindenburgi* nomen *Musis*  
 non aequi ignorantum. Ab illo ductus sensim sensimque  
 in Matheos cognitione ita creuisti, ut hac in scientia  
 multos praecurrere possis, et sis similis ascendi mon-  
 tem, cui in profundum et campum latum prospectare  
 datur. *BORZIO* autem, illustri Matheos in hac Aca-  
 demia Professori, cuius schola saepius a *TE* frequentata  
 est, *TE* multum debere, ipse sateris, quae quidem pro-  
 fessio *TVA* multum facit ad *TVI* nominis famam. In  
 rerum naturalium autem indagatione et contemplatione  
 vsus es celeberrimi *FVNCCII* Professoris praeceptis,  
 quem doctissimum Virum et ipse veneror, laudesque *III*



tribuo, quas virtutes eius merentur. In Physices autem studio quae difficultates et impedimenta offenduntur, abs te facili negotio, studiorum mathematicorum operae tollebantur. Hae enim disciplinae socias sibi quasi porrigunt manus. His igitur enarratis non opus est studium in cognitione mathematica abs te positum, fusius laudare, dum ipse specimen eruditionis TVAE in tractibus conscriptis edidisti, qui iudicio omnium fere Doctorum omne tulerunt punctum, cum quidem ex universa tractatione copiosam eruditionem TVAM et ingenium ad artes mathematicas factum elucidere faterentur. Quam ob rem TVAE diligentiae TVAEque eruditio-  
nis praemium a Facultate Philosophica Lipsiensi hoc ipso anno tulisti, a cuius quippe Doctoribus, Philosophiae Doctor TV ipse creatus, et numero Magistrorum adscriptus es. Mos fuit et consuetudo gentium quarundam,

ne

ne cui ad Patronum aut amicum, cui aliquod munus vel honor contigerat, sine munere pateret aditus. Quae sane consuetudo apud multos sancte culta atque obseruata fuit longo tempore, apud quos etiam cautum fuisse reperio: ne quis patronum aut amicum vlo modo indonatum tali in casu aut inhonoratum praetermitteret. Quod notum est exemplo Artaxerxis illius Magni qui Mnemon cognominatus est, cui quidam rusticus, qui melioris offerendi muneris facultatem non haberet, aquam e Cyro amne haustam manibus obtulit, quam Rex non modo libenter acceptauit, verum etiam benevolentia compensauit. Idem mihi fere accidit, qui nil, quod offeram, habeam, quam vota ex fontibus pectoris hausta, quibus mentem meam **T I B I** declarare, cupo. Gratulor huncce honorem, ab *Amplissimo Philosophorum Ordine* **T I B I** tributum. Coronam a Musis ple-

—

xam iure T I B I deberi, censeo; vt enim Nobilis studio  
Matheseos et illius seueritate ducatur, id vero non nisi  
rarissime fieri solet. Mihī ipsi gratulor, quod me ad-  
huc numero amicorum T V O R V M adscribere voluisti.  
T I B I persuasum habeas, me animum illum, quo hucus-  
que T I B I deditus fui, non nisi cum ip̄sa vita esse de-  
positorum. Iam iam nihil magis deploro, quam quod,  
nostra Academia relicta, Gottingam commigrasti. Hoc  
vnum mihi est solatio, quod certissime praeuideo, T E  
ibi summam voluptatem esse percepturum, maxime ex  
institutione et sermonibus *Illustris Kaestneri*, cuius episto-  
larum commercium, quo hucusque Lipsia usus es, mul-  
tum, vt ipse saepius ex T E cognoui, suavitatis T I B I  
attulit. Multum mihi gratulor, quod T E amicum in-  
veni (nam rarum quid et inuentu difficile est); et fidum  
sincerumque T V V M erga me amorem ac benevolentiam

sum-

—

summe praedico. *Quantum bonum est ubi sunt praeparata  
 pectora,* Seneca inquit, *in quae tuto secretum omne descendat,  
 et quorum hilaritas tristitiam dissipet.* Multi videri volunt  
 amici, sed sincera fides hoc tempore rara est. Mihi  
 praesertim pergratum esse confirmo, quod non solum  
 amico tē sed quoque *Magistro* vti mihi contigit, quem  
 merita ad hanc dignitatem perduxerunt. Gratulor ita-  
 que pia mente, ingenii acumen, iudicij excellentiam.  
 Imploro precibus Numen diuinum, velit t̄ v̄ a beare stu-  
 dia, dignisque t̄ v̄ a m̄ diligentiam praemiis ornare.  
 Deus diu adhuc tē conseruet, literis, et *Matri TVAE*  
*Generosissimae*, cuius benevolentia me frui, in felicitatis  
 meae partibus numero. t̄ v̄ a studia tali successu beat  
 Deus, vt ingenii t̄ v̄ i, doctrinae et amoris erga amicos  
 verissimi, fructus vberrimos colligas. Haec vota, vt  
 accipias quaeſo, *charissime mi Schoenberge!* tanquam pi-

gnus

Ze 2851 QK X 332 0172

16



gnus sinceri animi mei. Haec, ita T E rogo, vti per-  
petuo amori t v o commendatissimus esse cupio.

Vale. Scribebam Lipsiae, die XX Nouembr.

CIOCCCLXXVII.

mc



v. Schönberg

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Cyan

Green

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

Farbkarte #13

V I R O  
G E N E R O S I S S I M O  
L I S S I M O, A M P L I S S I M O,  
O C T I S S I M O  
D F R I D E R I C O  
H O E N B E R G,

L I P S I E N S I S H O N O R E S

A T V L A T V R

G V I L I E L M V S A S C H V T Z

E Q V . M I S N .



OFFICINA LANGENHEMIANA